



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. 1. Datur in Deo idea objectiva rerum omnium ab ipso conditarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

Nota. In eo instanti reali, pro quo scientia divina causat objectum suum, duo signa rationis distinguenda sunt, in quibus scientia divina objectum suum diversimodè repræsentat; nam in primo signo repræsentat illud ut potens existere; in secundo verò repræsentat illud ut actu existens. Sub prima ratione est scientia simplicis intelligentiæ, sub secunda est scientia visionis; sub prima ratione causat objectum suum, dirigendo potentiam executivam ad ejus effectum, sub secunda purè contemplatur illud ut causatum. Quamvis igitur scientia divina pro eodem illo instanti reali, pro quo causat objectum suum, sit non solum scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam visionis, quia non solum repræsentat illud ut potens existere, sed etiam ut actu existens; non tamen causat illud ut est scientia visionis, sed solum ut est scientia simplicis intelligentiæ.

Obj. ult. Ex S. Thomæ de veritate q. 2. art. 13. *Scientia Dei secundum quod ordinatur ad opus, quod facit voluntas, tantum est existentium in presenti, præterito vel futuro.* Ergo, ex S. Thomæ, scientia visionis, & quidem sola, est causa rerum. R. neg. conseq. Nam ibi S. Doctor dicit quidem scientiam divinam, quæ per liberam voluntatis determinationem applicata est ad causandum, & dirigendam potentiam executivam in suis operibus, monstrando illi modum ea faciendi, esse tantum de rebus aliquando existentibus, quod verum est; at non dicit scientiam divinam causare res aliquando existentes, repræsentando existentiam illarum ut actuale & exercitam, quod tamen requiritur ad scientiam visionis. Scientia igitur divina, ut est causa in actu secundo, hoc est, ut actu dirigens potentiam divinam, & ita directivè causans effectus Dei, non est nisi rerum aliquando existentium, ut per se manifestum est; non est tamen causa illarum, quæ contemplatur illas ut existentes, sed quæ præscribit modum quo fieri debent, ut existant, & ita non est causa illarum, quæ scientia visionis, sed quæ scientia simplicis intelligentiæ.

ARTICULUS III.

De Ideis divinis.

Nota. Idea strictè sumpta, & ut hic sumitur, rectè describi potest in genere. Forma existens in mente artificis, ad cuius imitationem artifex operatur. Unde ad ideam strictè sumptam requiritur, 1. Ut sit de re operabili, & modo illam operandi. 2. Ut re ipsa ab artifice ad opus ordinetur. Nam hæc duæ conditiones requiruntur ad rationem exemplaris, quæ ideam strictè sumptam constituit. Idea enim strictè sumpta, est exemplar rei faciendæ, ad quod respiciens artifex facit opus, quod intendit. Itaque si prima desit conditio, tunc forma rei, existens in mente artificis, nec est, nec potest esse idea propriè loquendo, quia nec est, nec potest esse exemplar. Si verò secunda tantum conditio desit, forma rei existens in mente artificis, non est quidem idea & exemplar, sed apta est ut sit, quod est illam esse ideam & exemplar in actu primo tantum; & tunc vocatur species, similitudo, & ratio, in qua ut objecto præcognito cognoscitur res, cuius est species, similitudo, & ratio.

Nota iterum. Idea duplex distinguitur, objectiva scilicet & formalis. Idea objectiva, quæ est simpliciter idea, est forma illa ad cuius imitationem artifex operatur, hoc est, exemplar ad quod artifex respicit, ut ei opus suum assimilet. Idea verò formalis, quæ non est nisi cum addito diminutive idea, est ipsa cognitio formæ seu exemplaris, quod artifex sibi in suo effectu exprimendum proponit. De objectiva autem, non de formali, hic agitur, & queritur, 1. Utrum in Deo locum habeat respectu rerum omnium ab ipso factibilium. 2. Utrum sit perfectio intrinseca Deo. 3. Utrum sit unica tantum, an verò multiplex. Quibus questionibus sequentibus responsionibus satisfacimus.

Datur in Deo idea objectiva rerum omnium ab ipso conditarum. Ita S. Thom. hic q. 15. art. 1. in O. post S. Augustinum lib. 83. qq. q. 46. & aliis locis.

Prob. Mundus factus est à Deo, ut agente modo perfectissimo, ac proinde ut agente per intellectum & voluntatem, hoc est, ut agente ex libera intentione faciendi opus, quod faciebat, & cum cognitione modi, quo faciendum erat, ac proinde cum cognitione formæ intelligibilis, cui assimilandum erat. Ergo necesse est ponere in mente divina formam, ad quam respiciens Deus, mundum & omnes ejus partes condidit. Ergo necesse est ponere in mente divina ideam objectivam rerum omnium ab ipso conditarum. Ita ratiocinatur S. Thomas loco citato, *Quia mundus, inquit, non est casu factus, sed est factus à Deo per intellectum agentem, necesse est, quod in mente divina sit forma, ad similitudinem cuius, mundus est factus. Et in hoc consistit ratio idea.* Eodem modo ante S. Thomam ratiocinatus fuerat S. Augustinus loco citato, ubi hæc leguntur: *Quis religiosus & vera religione imbutus.... negare audeat, imò non etiam profiteatur, omnia quæ sunt, id est, quæcumque in suo genere propria quadam natura continentur, ut sint, Deo auctore esse procreata... quo constituto atque concesso, quis audeat dicere Deum irrationabiliter omnia condidisse? Quod si rectè dici & credi non potest, restat ut omnia ratione sint condita.* Per rationem autem intelligit, ut patet ex contextu, formam in mente existentem, secundum quam formatur, hoc est, ad cuius similitudinem conditur opus ab opifice.

Confirm. Deus mundum condendo operatus est ut perfectissimus & sapientissimus artifex; mundum enim condendo, operatus est modo perfectissimo, nempe ut agens intellectivum & liberum. Ergo mundum condendo operatus est ad imitationem perfectissimi exemplaris in mente divina existentis: nam artifex in tantum operatur ut artifex, in quantum operatur secundum præconceptum exemplar operis, quod intendit facere, & faciendo assimilare exemplari præconcepto, quod in opere exprimendum sibi proposuit. Ergo re ipsa in mente divina existit exemplar, seu idea objectiva rerum omnium ab ipso conditarum.

RESPENSIO II.

Idea objectiva, quam habet Deus, rerum omnium à se conditarum, est perfectio Deo maxime intrinseca. Ita S. Thomas art. 2. in O.

Prob. Nam idea illa est ipsissima essentia divina, & quæ est ipsa plenitudo essendi, seu omnium omnino perfectionum complexio, & quæ in se modo quodam excellenti continet omnes omnino perfectiones creaturarum. Nam sub primo respectu est veluti fons & radix omnis realitatis & entitatis, quia res in tantum participant de realitate & entitate, in quantum participant de illa plenitudine, & consequenter in quantum illam imitantur, seu, quod idem est, in quantum ad illius imitationem fiunt. Unde sequitur essentiam divinam, quæ participabilis & imitabilis est à creaturis, ad hoc aptissimam esse, ut modo quodam excellenti sit exemplar rerum omnium, quæ à Deo fieri possunt. Sub secundo verò respectu est perfectissima quædam imago rerum omnium à Deo creabilium, illarum perfectissime repræsentativa secundum naturam, proprietates omnes, & modum, quo fieri debent; & ita sub hoc respectu est Deo prima ratio cognoscendi res omnes creabiles secundum naturam, attributa omnia, & modum illas efficiendi. Unde sequitur essentia divinæ sub hoc respectu nihil deesse, ut sit Deo exemplar absolutissimum rerum omnium, quas facit.

Confirm. Quia 1. Deus est artifex perfectissimus, & ita operum, quæ facit, debet habere perfectissimum exemplar. 2. Deus est artifex planè independens in efficiendo à quocumque alio, & ita debet habere à se, & non